


05

A

1395





M
M
—
T



DISPUTATIO

De

MEDIIS LO.

GICIS,

Quam

PRÆSIDE

VIRO

PRÆCELLENTI& PRECLARISSIMO,

M. GEORGIO VVAGNERO,

Colleg: Phil: Adj:

meritissimo,

Fautore, Studiorumq; suorum Promotore

æternum Venerando

RESPONDENS,

MARTINUS LEONHARDUS Kochser/

Cremnitio - Hungar.

Amicæ philosophantium collationi

D. Januar: Ann. Christ: M. DC. LXIX.

In Auditorio Majori horti consuetis

subjicit.

VVITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.

Erga
NOBILE PAR FRATRUM
VIRI
MAGNIFICI, MAXIME GENEROSI ATQVE SPECTABILIS
DOMINI
DN. JOHANNIS FRIDERICI
STOKHARNERI,
De STAREIN. Nob. Eqv. Aust. DOMINI DITIO-
NUM HEINRICHS & JAUDLING &c. &c. &c.
FILIOS,
JUVENES FLORENTISSIMOS,
PATERNAE VIRTUTIS AEMULOS,
DN. CHRISTOPH. SEBASTIANUM }
& } STOKHARNEROS
DN. JOHANNEM ERNESTUM } de STAREIN &c. &c.

Bonarum Literarum Artiumq; Liberalium Cultores
in detestos Discipulos quondam suos gratissimos,
nunc

Fautores omni honoris & amoris cultu prosequendos
Gratitudinem animi declaraturus,
Eisdemq; ad altiora incitaturus

Hocce Academicum Logices Exercitium, eâ qua par
est observantiâ Strenæ loco offert

Eorundem

officiosissimas

MARTINUS LEONHARDUS Kochser/
Ctemnitzio Hung. Ph. & SS. Th. Stud



05 A 1395

Incipe, effice, perfice mi Jesu!

PRÆCEPTORUM LOGICORUM

LIBER I. SISTENS
TERMINUM SIMPLICEM INTELLECTUS
APPREHENDENTIS DIRECTIVUM.

TRACT. I. DE MEDIIS LOGICIS

In communi.

CAUT I. POSITIVUM.

PRÆC. I.

Media Logica sunt media instrumentalia per quæ rectitudo Logica in facultates intellectus cognoscitivas ob veritatem melius percipiendam introducitur. Cujus ordinis alia Primam: alia Secundam: alia Tertiam mentis operationem dirigunt.

I. Ad Subj:

§. 1. Pro habitus practici indole, per DEi Gratiam hactenus in Doctrinâ proœmiali I. disputationi inclusâ, spectavimus Logices, tum Finem: tum Subjectum. Nunc bono cum Deo, ad doctrinam Logicæ essentialem devolvimur. Et cum Logica sit habitus practicus, in hâc essentiali tractatione, ex professo Media Logica, per quæ finis Logicæ obtineri debet, sunt pertractanda.

§. 2. Cæterum ut natura Mediorum Logicorum, eò rectius constare possit, ipsa & generaliter & specialiter, sunt expendenda. In præsentî præcepto, rationem mediorum Logicorum definitivè sistimus.

§. 3. Intelligimus autem hic media non principalia & realia, quæ Disciplinis realibus, quales sunt Philosophia Practica, nec non Jurisp. atq; Medicina, consecrantur: sed instrumentalia s. notionalia. Et cum hujus ordinis media, alia sint generalia, omni Disciplinæ instrumentali communia: alia specialia, certo habitui, vel Grammatica, vel Rhetorica &c: propria, hoc loco insinuantur Media specialia, eaq; ad Logicam restricta: quemadmodum vox ad-

E 2

jecta

jecta, *Logica*, edocet. Quapropter si alio æquipollente nomine ipsa sint exprimenda, indignantur *Intentiones Logica*, eò, quòd, finem Logicum intendunt producere in subiecto operationis. it: *Notiones Logica* (1) *Effectivè* quia ab intellectu notiones fabricante Logicumq; finem respiciente, propullularunt (2) *objectivè*, quia circa notiones primas Logico modo occupantur (3) *Terminativè*, quia in noemata intellectus, inducunt finem Logicum.

II. Ad Predicat:

§ 1. *Definitio* hæc constat *conceptu latiori & strictiori*. *Conceptus latior* est *Media instrumentalia*. Nam non tantum *natura generica media*, quæ in causatione finis ab operante intenti consistit, convenit Logicis mediis, cum & ipsa laborent ob organicam rectitudinem intellectui nostro conciliandam: sed etiam *ratio medij organici*, quæ introductione perfectionis organicæ in subiectum operationis absolvitur, verè competit iisdem. Deinde *notio medij instrumentalis*, ut *latius quid*, cum & Grammatica & Rhetorica media participant quidditatem medij instrumentalis; nec non *proximè*, cum nihil mediet inter media Logica & media instrumentaria, tribuitur mediis Logicis.

§ 2. *Conceptus strictior* absolvitur (1) *Materiali*, quod sunt facultates intellectus cognoscitivæ. Hæ etenim sunt subiectum, in quod rectitudo Logica introducibilis est. (2) *Formali*, quod consistit in *introductione rectitudinis Logica*. Huic enim fini notiones Logicæ, tanq. media sunt destinata, ut rectitudinem ex præceptis Logicis oriundam inducant. Quapropter eadem intellectum, tum simplicem, tum compositum, tum discursivum organicè re-ctificant.

PRÆC: II.

Media primam mentis operationem dirigentia sunt media Logica, quæ intellectum simplicia apprehendentem ad veritatem incomplexam (representationis) organicè dirigunt. Suntq; termini simplices. en d.

I. Ad Subiect.

§ 1. *Media Logica* hic non capiuntur *præcisè & indifferentè*, sed *determinatè*, in quantum ad peculiarem, eamq; primam intellectus functionem ordinantur, spectari debent. Atq; proinde aliàs salu-

salutantur p. *notiones Logicae noeticae s. simplices*, quia noematum intellectui simplici priorum sunt directrices. p. *Media simplicia*, cum intellectum simplicem, qui circa simplicia apprehendendo occupatur, dirigere solent.

II. *Ad Prædicat.*

§. 1. *Conceptus determinabilis est media Logica*. Hæc enim latiora sunt, quam media simplicium apprehensionem respicientia.

§. 2. *Conceptus determinans* absolvitur (α) *Materiali* quod est, vel *subjectivum*, intellectus sc. apprehendens s. intellectus, in quantum per apprehensionem simplicium sese exerit. Cum n. intellectus simplex in apprehendendo, *vel in excessu*, vel *in defectu* à veritate deviare possit, per *notiones Logicas simplices*, ipse dirigendus est ad veritatem: vel *Objectivum*: res sc. & *notiones primæ simplices*. Simplex quippe intellectus circa simplicia noemata *immediatè*; circa res autem simplices *mediatè* occupatur. (β) *Formali*, quod consistit in *organicâ ad veritatem incomplexam directione*. Quandoquidem per hæc simplicia media actus mentis apprehendentes sunt normandi atq; dirigendi, ut rectificati, veritatem feliciter percipere queant.

PRÆC. III.

Media secundam mentis operationem dirigentia sunt media Logica, quæ intellectum componentem & dividendem ad veritatem complexam instrumentaliter dirigunt. Suntq; Enunciatio atq; Interpretatio.

enb.

I. *Ad Subj.*

Hæc media alio nomine dici possunt (1) *Notiones Logicae Syntheticae & diareticae*, quia actus componentis atq; dividendis intellectus dirigunt. (2) *Media composita*, cum intellectui composito dirigendo inserviant.

II. *Ad Prædicat.*

§. 1. *Conceptus contrahibilis est Media Logica*. Media enim Logica latius patent, quam media compositi intellectus organicè directiva. *Intentiones enim Logicae, tum Noeticae, tum Dia-noeticae*, etiam sunt media Logica.

§. 2. *Conceptus contrahens* desumitur (α) à *Materiali*, quod est *intellectus componens atq; dividens*. Sicut enim ipse in tendentiâ

E 3

ad com-

ad complexam veritatem aberrare potest: ita idem per Noëma-
ta Logica composita, in viam veritatis reduci, & in istâ ut tutius
procedat, juvari solet. Cum verò intellectus compositus ali-
quid componat, vel aliquid dividat, inde *objectum hujus intelle-*
ctus, quod *immediatè est notio prima complexa: mediatè autem*
res ipsa componenda & dividenda, hic non excluditur, sed inclu-
ditur. (β) à *Formali*, quod consistit in *organicâ ad complexam ve-*
ritatem directione. Nam per hæc media intellectus componen-
tis & dividens actus, ita sunt normandi atq; dirigendi, ut recti-
ficati, veritatem complexam melius deprehendere possint.

PRÆCEPT: I V.

Media tertiam mentis operationem dirigentia, sunt media
Logica quæ intellectum ratiocinantem & ordinantem ad ve-
ritatem ex discursu redundantem organicè dirigunt. Qua-
lia sunt Syllogismus & Methodus.
end.

I. Ad Subj.

Hæc media aliàs vocari possunt p. *Notiones Logica Dianoëtica*, cū
Διανοια s. discursū in colligendo pariter atq; ordinando juvent.
p. *media Dianoëtica*, quia intellectui dianoëtico succurrunt.

II. Ad Prædic.

§. I. *Conceptus limitabilis est media Logica*. Sunt enim notio-
nes apprehensivæ, ut & compositivæ atq; divisivæ, etiam Logica
media. Deinceps media Logica essentialiter dicuntur de me-
diis discursivam mentis facultatem dirigentibus.

§. 2. *Conceptus limitans*, constat (1) *Materiali*, quod est intelle-
ctus discursivus. Cum autem ipse sese exerat p. per Illationem,
unum ex alio colligendo: p. per ordinationem, unum post aliud
disponendo, ideo uterq; actus discursivi intellectus hic fuit ex-
primendus (2) *Formali*, quod absolvitur organicâ directione ad
veritatem ex discursu promanantem. Sicut enim intellectus
dianoëticus in actibus suis illativis atq; ordinativis à vero po-
test deviare: ita idem per notiones dianoëticas, partim in colle-
ctione, partim in dispositione, solet instrumentaliter facilitari &
adjuvari.

CAPUT

CAPUT II. DIRECTIVUM

CANON.

I. Media Logica sint adequata.

exd.

Sc. tum ratione extensionis p. *subjectivæ*, ut cuilibet facultati intellectus logicè perficiendæ, respondeat peculiare medium. Hinc ad intellectum simplicem logicè perficiendum ordinetur medium simplex: ad intellectum compositum dirigendum, habeatur medium compositum: ad discursivum intellectum Logicè rectificandum aptetur medium discursivum, p. *objectivæ*, ut media Logica, tam latè pateant, quàm latè patet objectum, circa quod intellectus logicè dirigendus occupatur. tum ratione perfectionis, ut media hæc sint proportionata fini Logica, ita, ut id, ad quod efficiendum destinata sunt, per intrinsecam vim, producere queant.

II. Mediorum potior, quàm Finis & Subjecti Logici cura est habenda.

exd.

Ratio est, quia Finis in Subjectum Logicum inducendus, dependet à mediis. Unde quoq; media juxta indolem habitus practici, ex professo in Logica sunt pertractanda.

CAPUT III. DISPUTATIVUM

Q: Sub quâ ratione hîc in præceptis de Notionibus Logica agatur, cum antea in Præcognitis Logicis tractatio de iisdem fuerit instituta?

Resp. [1] D. inter legitimam notionum *Logicarum* efformationem & inter *efformatarum* Logicam operationem. Logica in *λογική* ita sollicita est de notionibus Logicis, ut ipsæ vel ex *Gnostologia* aut generali *Organicâ* rectè efformatæ desumantur, vel hîc ad ingenium Logices legitimè concinnentur, & fini Logico accommodentur. In ipsa autem *πράξι* Logica, notionem jam efformatæ ad operationem tanquam media adhibentur. [2] *Positio*, quod tam *παραγόμενα*, quàm *ἔργα* Logica, notionem fabricatas exhibeant, modus tamen considerandi utrobique variat. [α] Ibi Notiones Logicae sub *ἔργα* ad finem definitivè atq; *divisive*

sed citra actualem causationem expenduntur: Hic autem operative, sub ratione mediorum & actualis causationis spectantur, in quantum ipsæ naturam mediorum induunt & ad finem Logicum in subjecto producendum actu ordinantur. [β] Ibi pensantur, ut præsuppositum & Logices formali extræssentielle: Hic autem sistuntur ut Præcepta, formale Logices constituentia, & per quæ finis Logicus ab operante obtinetur.

TRACTATUS II.

DE MEDIIS LOGICIS IN PARTICULARI PRIMAM MENTIS OPERATIONEM DIRIGENTIBUS.

CAPUT I.

DE TERMINO SIMPLICI IN GENERE.

PARTITIO I. POSITIVA.

PRÆCEPT. I.

Terminus est medium Logicum apprehensivam intellectus facultatem ad veritatem representationis melius percipiendam dirigens.

I. Ad Subj.

§.1. *Etymol.* Terminus à terminando dicitur, eò quod instrumentali perfectione terminet intellectum. Restringitur verò ipse per vocem *simplex*, quia hujus ordinis terminus simplicem mentis actum, qui in apprehensione consistit dirigere solet.

§.2. *Homon.* Terminus accipitur vel sensu *improprio* vel *proprio*. *Improprie* quando sumitur, tunc notat Gentilitium aliquem Deastrum, in cuius tutelâ fines agrorum Romanis putabantur. *Proprie* quando capitur, tunc sumitur *in sensu vel reali, vel notionali*. (α) *Realiter* quando adhibetur, tunc notat vel *limitem & fines agrorum, vel principium aut finem cujuscuq; rei; vel eventum & exitum rerum, vel diem audiendi judicii.* (β) *Notionaliter* cum adhibetur terminus, tunc partim *pro notione primâ* usurpatur, notans *generaliter*, quamlibet disciplinæ realis notionem s. modum loquendi proprium: ut terminus *Theologicus: Juridicus: Medicus: Philosophicus, isq; tum Gnostol. tum Noolo.*

Noologicus, tum Metaphysicus &c. partim pro notione secundæ inferente modum loquendi habitibus organicis proprium, accipitur. Estq; vel significativus, qui aliquid significat: vel non-significativus, qui nihil significat. Sicut autem hic à disciplinis exulat; ita ille in disciplinis admittitur; atq; dirimitur in terminum Logicum, Grammaticum, Rhetoricum &c. quorum primus functiones intellectus dirigit, atq; à nobis nunc attenditur.

§.3. Logicus autem terminus itidem l. latè l. strictè talis est. *Strictè dictus* est, qui simplicium apprehensionem organicè dirigit. Atq; ipse in definitione intelligitur: *Latè sumptus* est, qui ad organicam directionem ineptus est. Quo nomine venit terminus *Æquivocus*. Quare sicut terminus Logicus *strictè talis* in Logicà *positivè atq; directivè* consideratur: ita *latè sumptus, remotivè atq; indirectè* hic expenditur.

§.4. Cæterum, cum terminus Logicus *propriè acceptus*, alius sit *simplex & absolutus*, qui ad primam mentis operationem dirigendam tantum est ordinatus: alius *verò respectivus*, qui consortium l. unius, l. plurium terminorum deponit, adeò, ut ipse sit, *vel Enunciativus*, qui Enunciationem ingreditur atq; secundæ mentis operationi succurrit: *vel discursivus*, qui ad quidditatem Discursus exigitur, atq; tertiam mentis operationem dirigit: hic in datâ descriptione terminus $\alpha\lambda\gamma\epsilon\chi\omicron\chi\eta\nu$ talis l. terminus simplex absolute spectatus, qui aliàs sine adjecto, Terminò dicitur, insinuatur.

§.5. *Synon:* Terminus aliâ æquipollente significatione eaq; p. *Græcâ* dicitur $\delta\pi\theta$, quæ dictio sensu Logico accepta designat l. *generaliter* quodvis instrumentum rationis directivum: l. *specialiter* remotam Syllogismi materiam. p. *Latinâ* salutatur *Norio Logica*, quia aliquid certi notificat intellectui juxta modum Disciplinæ rationem dirigenti congruum.

II. Ad Prædicat:

§.1. In descriptione propositâ (α) *Conceptus latior est medium Logicum*. Ratio enim medi Logici, non modò penes terminum simplicem residet: verum etiam in termino complexo atq; discursivo deprehenditur. Singuli enim sunt media, quibus finis Logices obtinetur.

F

§.2.

§. 2. (β) *Conceptus strictior* absolvitur tūm *Subjecto dirigibili*, quod est facultas intellectus apprehensiva, s. primus mentis actus cognoscens. Quandoquidem in hunc per terminum simplicem rectitudo Logica primæ mentis operationi respondens, introducenda est: tūm *Fine*, quò dirigitur, qui est Veritas cognitionis sub simplici conformitate cum objecto simplici spectata.

PRÆC: II.

Terminus simplex est, vel Incomplexus, vel Complexus.
end.

Generalis hæc est partitio complectens sub se plures speciales divisiones. Fundamentum autem illius est varietas rei significata, vel enim terminus simplex unum; ut homo; vel plures significat conceptus; ut animal rationale: Ille vocatur terminus incomplexus, hic verò complexus

SECTIO II. DIRECTIVA CANON.

Quicumque terminus simplex non inservit organica directioni facultatis apprehensiva, nomine termini simplicis venire nequit.
end.

Ratio regulæ est, quia terminus simplex est medium directivum primæ mentis operationi consecratum. Jam verò omne medium debet esse proportionatum fini.

I. Omnis terminus simplex dicatus sit intellectui apprehendenti.
end.

Ipse enim est medium causativum finis in suo subjecto. Cum itaque medium sit notio relativa, quæ ceu medium, ad aliud subjectum, quam quidem ad intellectum simplicem referri nequeat, idcirca terminus simplex, non nisi simplici intellectui potest esse proprius.

III. Terminus simplex & absolutum & respectivum exercet actum.
end.

Illum in directione simplicis intellectus, hunc verò in directione intellectus compositi. Ille est absolutus & primarius: Hic verò est respectivus & secundarius. Omne enim Relativum per ordinem naturæ, supponit absolutum;

SECT

SECTIO III. DISPUTATIVA.

Q. Utrum terminus simplex tantum sit tractationis Logicae?
 Resp. (1) Supposito, quòd terminus ut sic & à termino, tam interno, quàm externo (voce, literis a. typis expresso) præcisus dicatur, qui intellectum in se indeterminatum, terminet; D. (2) inter terminum simplicem & compositum. Illum hic respici vox expressè adjecta confirmat. (3) D. inter terminum simplicem præcisè & restrictè spectatum. Non tam de hoc, quàm de illo, nunc disquiritur. (4) D. inter terminum primæ & secundæ intentionis. Quod hic non sumus solliciti de termino primæ intentionis, qui significat primam intentionem objectivam s. rem primè & immediatè cognitam, sub nullâ denominatione intellectus habitudinem rationis inferente, natura Logicæ, tanquam secundo - notionalis disciplinæ, non admittit. Vice autem versâ hîc indigitari terminum notionis secundæ, qui significat secundam intentionem objectivam s. qui significat rem, aut denominatam ab actu intellectus sub habitudine rationis, confirmat substrata materia & definitio termini superius in præcept. i. tradita. (5) D. inter terminum intentionis secundæ quemcunq; qui organicè causat s. sit Logicus s. Grammaticus s. Poëticus &c. & terminum Logicum. Non omnis, sed Logicus saltem terminus huc spectare potest. (6) D. inter terminum Logicum propriè dictum, qui tanquam medium ducit ad finem Logicum & inter terminum Logicum impropriè acceptum, qui ineptus est ad finem Logicum perducendum. (7) D. inter tractationem directam atq; per se talem: & inter tractationem indirectam atq; per accidens talem. Non de hâc, secundum quam aliquid quocunque modo ad disciplinam facit: sed de illâ, nunc quæstio movetur. Neq; (7) De subjecto speculationis, sed de subjecto operationis problema loquitur. Quod igitur non omnis terminus simplex, sed restrictè sumptus, isq; intentionis secundæ atq; Logicus propriè dictus, sub operationis respectu sit tantum considerationis Logicæ probatur: (1) à Logices naturâ: quia Logica est practicus habitus, qui in suâ essentiali tractatione, non nisi media sistere potest. (2) A Logici medij ratione propria? Omne medium adæquatum sic suo fini, ita, ut propriâ causalitatem, proprium finem, propriam

tractationem, propriam Disciplinam sibi vendicet, & ex sua indole, vel *totaliter*, vel *partialiter* in finem influat. Quod autem terminus Logicus, sit aliquod medium, censetur à nobis ἐξ αὐτοῦ (3) *A Logico sine*. Finis in practicis, mensuram largitur mediis. At terminus Logicus est medium Logicum. Quapropter ille mensuram accipiat à fine Logico, ita, ut nulli, præterquam Logico fini approprietur, & p. c. solius tractationis Logicæ maneat.

CAPUT II.

DE TERMINO SIMPLICI IN SPECIE.

PARTITIO I. SISTENS

TERMINUM INCOMPLEXUM.

TITULI I. TRACTATIO INDIRECTA.

DE TERMINO ÆQVIVOCO

SECTIO I. POSITIVA.

PRÆC. I.

Terminus Æquivocus est, quo plures conceptus primi essentialiter diversi significantur.

ἐκθ.

I. Ad Subject.

§. 1. *Etymol. Æquivocum* s. *Homonymum* origine est græcum, descendens ἐκ τῆς ὁμοῦς simul & ὄνομα, Æolicè, pro ὄνομα, q. d. simultaneum nomen, eò, quod à pluribus eadem appellatio obtineatur.

§. 2. *Homon. (α)* Aliud est terminus *equivocus equivocans*, qui est vox (conceptus) plures conceptus diverse quidditatis significans. Grammaticè dicitur, πολύσημον q. d. multisignificativum: Aliud sunt *equivoca equivocata*, qua sunt conceptus diverse quidditatis communi nomine (conceptu) significati v. c. conceptus de lupo quatenus brutum ululans: piscem: hominem rapacem significat, est æquivocum æquivocans: ipsi autem conceptus sub diversâ conceptibilitate per hoc nomen significati, dicuntur

tur

tur homonyma homonymata. (β) Aliud est *Homonymum*: aliud
Heteronymum: aliud *Synonymum*: aliud *Paronymum*. (1) *Para-*
nyma sunt, quæ ab aliquo denominationem habent, ab eodem solâ
 finali terminatione differentia, ut *Justus* & *Justitia*. (2) *Synonyma*
 (aliàs *Synonyma Logica* dicta) sunt, quæ & idem nomen, & ean-
 dem rationem essentia, secundum hoc nomen obtinent, ut *homo* &
brutum in animali. *Deus* & *Angelus* respectu spiritus. (3) *Poly-*
onyma (*Synonyma Grammatica* Græcè ἰσοδυναμῶντα Latinè æ-
 quipollentia l. æquivalentia) sunt quæ in re (essentiâ) conveni-
 ant, in nomine autem differunt. ut *Ensis* & *gladius*. *Electio* &
Prædestinatio. [4] *Heteronyma* sunt, quæ & nomine, & definitione
 (re) differunt. Ideirco ipsa sunt diversi conceptûs, diversarum
 rerum significativi: ut *Pater* & *Filius*. *Coelum* & *terra*. (5) *Ho-*
monyma sunt, quæ nomine (voce) conveniunt, sed definitione (re)
 differunt. ut: *Canis* dicitur de sidere, pisce, de bestia. (γ) *Æqui-*
vocum hîc pensitatur, non exercitè & in particulari, pro hoc vel
 illo æquivoco: pro hoc cane, pro hoc cancro: sed signate & in
 communi, secundum rationem formalem æquivoci, quomodo
 non saltem nomen habet unum: sed & unam essentia rationem
 secundum illud nomen: & consequenter unicâ definitione ex-
 plicari potest.

§.3. (δ) *Æquivoca* jam expenduntur, non directè ac positivè: sed in-
 directè atq; remotivè. Non in quantum sunt media intellectûs or-
 ganicè directiva: sed in quantum, ut inepta Logices media remo-
 ventur. Intellectum quippe cognoscentem, non adjuvare, sed per-
 turbare: non perficere, sed distrabere atq; remorari solent. Tandem
 (ε) D. inter modum considerandi æquivoca principalem, & instru-
 mentalem. *Æquivoca* in Logica non πραγματικῶς & realiter: sed
 ὀργανικῶς & instrumentaliter, sunt spectanda.

II. Ad Prædic:

§.1. *Conceptus* latior subauditur: *Conceptus* autem strictior ab-
 solvitur *Homonymorum* requisitis.

§.2. Requiritur proinde ad *Æquivoca* (1) *Conceptuum* objectivo-
 rum pluralitas. Nam unus *conceptus* objectivus solitariè specta-

us, nunquam significatur æquivocè, sed habet eandem, sub uno
conceptu, quo significatur definitionem.

(2) *Unius Conceptus communitas.* Unus conceptus sc: *formalis & si-
gnans: non objectivus & signatus insinuat.* Nam conceptus in æ-
quivocis objectivè & quoad rem signatam spectatus, non est u-
nus & communis, sed multiplex ac diversus. (3) *Essentiæ significatæ
diversitas.* Æquivoca enim unâ essentiam, aut conceptum essenti-
alem unum, aut definitionem, aut descriptionem unam, partici-
pare nequeunt. Cùm enim sub uno illo conceptu plures lateant
conceptus objectivi, plures quoq; eademq; diversæ essentiæ ibi
contineantur necesse est. (4) *Respectus ad eundem conceptum iden-
titas.* ut sc. illa diversa conceptuum objectivorum quidditas at-
tendatur penes illum conceptum communem, in quo ipsi conve-
niunt.

PRÆC: II.

Æquivoca sunt vel casu, vel consilio talia.
ἐκθ.

§. 1. *Æquivoca casu talia (casualia, fortuita) sunt conceptus obje-
ctivi essentiâ diversi, communem conceptum ob nullam determina-
tam causam sustinentes v. c. clavus respectu instrumenti nautici &
paxilli, est Homonymum ὁμοτύχης.* Sic Jus respectu Justitiæ
& offæ. Notio enim clavi ut & juris, rebus maximè distanti-
bus citra causam & rerum cognationem est imposita. Indigi-
tatur autem per causam h. l. non causa generalis, qualis circa ho-
monyma dari potest, & est partim rerum pluralitas: p. *notum &
notionum paucitas: sed causa specialis, quæ sc. propriè dicat, cur his
rebus nullam affinitatem præ se ferentibus, communis notio &
nomen sit tributum.*

§. 2. *Æquivoca consilio talia (deliberata: secundum præelectionem
s. cum de liberatione) sunt conceptus objectivi essentiâ diversi, commu-
nem notionem propter aliquam causam habentes. Suntq; l. Pura l.
ἀνάλογα.*

§. 3. *Homonyma pura sunt, quibus eadem notio, aut nomen idem
impositum est ob rationem, quâ motus imponens, idem nomen aut no-
tionem diversis rebus imposuit. Causa verò hujusmodi impositionis
potuit esse l. Honor, ut si in honorem Principis sui, Pater aliquis
nomen*

nomen ejusdem Principis indat Filio suo, l. *Amor*: ut si quis amo-
re Petri Apostoli, Filio suo itidem tribuat nomen Petri. l. *memo-*
ria. Sic si Fœmina post sterilitatem suam, in illius memoriam vo-
citet Filium, *Samuel*. l. *spes*, ut si quis aliquem, ob spem quã de illius
Pietate concepit, vocitet Christianum, nomen foretã spe petitur.

§. 4. Homonyma analogã (secundum cognationem, itã aliquam
similitudinem habentia: itã analogã proportionis) sunt *res vel con-*
ceptus objectivi diversi, quibus idem nomen, aut notio imposita est ob
rationem in ipsis inventam. Ratio autem illa est, vel *similitudo,*
vel *attributio* v. c. pes dicitur & ima pars animalis, & montis &
subsellii, ob similitudinem. Nam sicut inferior pars animalis
ad reliquum corpus fulciendum sese habet; itã pars ima montis
ad reliquam ipsius molem; & infima pars sellii in ordine ad
partem superiorem.

SECTIO II. DIRECTIVA.

CANON:

I. *Non ex solis rebus aut conceptibus rerum, nec ex solis voci-*
bus, sed ex rebus & conceptibus per ordinem ad conceptus &
voces: & ex conceptibus & vocibus per ordinem ad conceptus
& res, consurgit æquivocatio. *ẽnd.*

Quilibet n. res suam sibi determinatã atq; distinctã habet in
rerum naturã quidditatem. Et singulis rebus singuli conceptus
respondent in animo, quos intellectus pro lubitu multiplicat.
Quatenus autem res & conceptus rerum, certis vocibus aut communi
aliquo conceptu exprimentur: & vice versã, voces diversis rebus,
earumq; conceptibus significandis imponuntur, homonymi na-
turam induunt, eoq; respectu voces æquivocæ & conceptus æ-
quivoci dicuntur activè, quia significant ambiguè: res autem &
conceptus objectivi, passivè, quia significantur ambiguè.

II. *Omne Homonymum dicitur signi univocum, & signati pluralita-*
tem. *ẽnd.*

Sub uno quippe signo, plures conceptus diversi, pluresq; conse-
quenter res significantur.

III. *Æquivocum quã tale, neq; genus, neq; species est: neq; defi-*
nitur, neq; dividitur.

Ratio est, quia hæc omnia unitatem quandam, secundum quam intellectui obijciantur, requirunt. Homonyma autem in quantum talia, inferunt multitudinem, & conceptus plures, pluresque res, essentiã diversas, dicunt.

IV. Super æquivocis non stat contradictio. exb.

I.e. Æquivoca non admittunt contradictionem. Et ratio in promptu est; quia æquivoca destituuntur unitate. Ad contradictionem autem exigitur, ut de eodem aliquid affirmetur & negetur.

V. Utut Æquivocum in se vaga sit significationis, ac mater confusionis atq; erroris: tamen illud per adjectam restrictionem à confusione liberatur & ad certam significationem redigitur. exb.

Requiritur autem restrictio accommodata & ad æquivocationem tollendam idonea. v. e. Si τὸ *Canis* adjiciatur vocula *Marinus*, homonymia hujus vocis perit, & *canis marinus*, jam est terminus ab æquivocatione liberatus.

VI. Homonymum est terminus ineptus fini Logico. exb.

Sc: in se spectatum. Ipsum n. ob vagam suam significationem, neq; intellectum determinare, neq; eundem in cognoscendo, (cum nihil significet) dirigere potest. **SECTIO III. DISPUTATIVA.**

Q. Quomodo Homonyma, à Synonymis, Paronymis, Polyonymis & Heteronymis differant?

Res. Secundum receptam sententiam hæc inter adductos terminos differentia intercedit, ut *Homonyma* cum *Polyonymis*: & *Synonyma*, cum *Heteronymis* pugnent: medii verò statûs sint *Paronyma*. Nam in *Homonymis*, est *nominis identitas* & *definitionis diversitas*. In *Polyonymis* a. est *essentiæ identitas*, *nominis verò diversitas*. In *Synonymis* est tam *Nominis*, quàm *essentiæ identitas*. In *Heteronymis* v. utriusq; diversitas. *Paronyma* tandem, quoad initium conveniunt, differunt autem quoad finem, tam in nomine quàm in ratione essentiæ.

SOLI DEO GLORIA.

or.
or-
bro
or,
le
riis
.3.
m
eli-
ci-

05 A 1395


ULB Halle 3
003 778 096


5b

VDM 7







3.

DISPUTATIO
De
MEDIIS LO-
GICIS,
Quam
PRÆSIDE
VIRO
PRÆCELLENTI & PRECLARISSIMO,
M. GEORGIO VVAGNERO,
Colleg: Phil: Adj:
meritissimo,
Fautore, Studiorumq; suorum Promotore
æternum Venerando
RESPONDENS,
MARTINUSLEONHARDUS Kochser/
Cremnitzió - Hungar.
Amicæ philosophantium collationi
D. januar. Ann. Christ: M. DC. LXIX.
in Auditorio Majori horti consuetis
subjicit.

VVITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.

H. S.